



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE***ECCLESIA DEI*** **TEMPLUM DEO DICATUM IN HONOREM SANCTI DALMATII MARTYRIS,**

IN LOCO «QUARGNENTO», IN DIOECESI ALEXANDRINA STATIELLORUM,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ecclesia Dei sanctorum martyrum qui vicerunt propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui (*Ap. 12,11*) exemplo et intercessionibus aedificatur.

Ideo recte sedes Alexandrina Statiellorum tamquam fundamentum vivum habet Sanctum Dalmatium, cuius corpus eo in loco mille iam annis excolitur. Perutile videtur Nobis hanc venerationem alere ac fovere. Provido igitur consilio

Venerabilis Frater Ferdinandus Charrier, Episcopus Alexandrinus Statiellorum, postulavit ab Apostolica Sede, suum commune cleri et populi christiani votum proferens, ut templum Alexandrinum, quod diximus, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem – sicut primum in illa dioecesi – in perpetuum evehatur. Nos autem, hanc aedem scientes aequo

modo etiam architectonice et liturgice restauratam, neque dubitantes quin id ad maiorem populi fidelis devotionem conferre possit, libenter eiusmodi postulationi concedimus. Audita ergo sententia Congregationis de Cultu Divino, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut templum Deo dicatum in honorem Sancti Dalmatii martyris intra

finis dioecesis Alexandrinae Statiellorum in loco «Quargnento» exstans, dignitate Basilicae Minoris decoretur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Quae vero statuimus, volumus nunc et in posterum firma

esse, contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Februarii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
